

mus quidquam addere vel detrudere, quia sic totus ordo corrumperetur, ut docet S. Thomas infra q. xxv, art. vi ad iii. Ad auctoritates patrum eodem modo respondeo, quod loquuntur de voluntate divina non absolute eligente, sed ex suppositione, et determinatione hujus universi, et regulis suæ sapientiæ in illo efformando, et fine determinato ad ipsum constituendum, sic enim pulcherrime fiunt, et meliori modo quo esse possunt propter ordinem decentissimum, qui eis attribuitur a Deo, ut dicit S. Thomas quæstione xxv citata, art. vi ad iii, decentissimum inquam, non absolute, sed comparative ad hunc statum, et finem quem determinavit. Nec contra hanc explicationem affert Granados aliquid momenti, eaque est solutio et doctrina S. Thomæ et sic non est quod immoremur.

XXI. Ad confirmationem respondetur Deum perfectissime, et summo modo se amare, qui autem perfecte amat aliquem, vult illi id quod melius est juxta beneplacitum illius, non quod absolute in se melius est, aut nobis melius videtur. Ex bonis autem quæ conducunt ad gloriam Dei, quædam conducunt ad gloriam Dei internam et essentialem, et hæc est sua bonitas et omnia sua attributa, et hæc vult Deus sibi necessario, non ut melius, sed ut optimum. Alia sunt bona extrinseca, et secundaria, a quibus illa prima nullo modo pendent, et gloria quæ ex eis provenit Deo extrinseca est, et tanto ei melior, quanto magis in eis juxta liberum voluntatis suæ consilium operatur. Unde cum Deus sibi velit perfecte et ardentissime bonum, et in manu et voluntate sua sit eligere quod voluerit ex istis bonis extrinsecis, semper vult sibi melius dum voluntati suæ conformius eligit ex omnibus illis bonis. Unde non solum Deus vult sibi melius ex bonis

divinis, sed ex bonis creatis vult sibi melius formaliter, id est, magis secundum suam voluntatem, licet ex parte rei materialiter electæ non sit semper id quod est melius absolute, sed quia hoc ipsum est id quod voluit, et in quo implet voluntatem suam, hoc ipsum formaliter est melius, et magis ad gloriam suam. Nec potest is qui aliquem perfectissime amat, magis ad gloriam suam amare, quam permittendo omnia arbitrio suo, et ut impleat in omnibus voluntatem suam. Nec justi aliter volunt majorem gloriam Dei, quam volendo ut fiat voluntas ejus, sicut in cælo et in terra, sive res in se sint meliores, sive non. Nec tenentur voluntas conformare se ei quod judicat intellectus esse melius, absolute, sed melius respective et proportionate ad regulas sapientiæ suæ et voluntati consilii sui.

XXII. Possent etiam fieri argumenta contra primam conclusionem ad probandum quod Deus necessario amat creaturas, quia actus ille voluntatis necessario in Deo est, et careret aliquo actu, si non amaret, et similiter infinitus amor ejus est erga creaturas, et infinita misericordia, et liberalitas: ergo habet propensionem infinitam in creaturas: ergo non liberam, et denique amando seipsum ut finem, amat creaturas ut media ordinata ad finem; et sic in creaturis amandis semper invenit aliquod bonum infinitum, et necessario amatum, scilicet se ipsum ut finem.

Sed hæc omnia jam supra soluta sunt agendo de constitutione actus liberi in Deo, ubi ostendimus Deum necessario habere entitatem actus liberi, sed non terminationem ad creaturas, nec aliquid deesse Deo si non vellet istas creaturas, sed solum aliquid deesse creaturis, quæ participant bonitatem a Deo, non supponunt illam. Similiter amor

infinitus est ex parte Dei, sed ex parte objecti creati non est objectum adæquatum illi infinito amori, sed inadæquatum, et sic non infinite amatur ab amore infinito, et consequenter nec necessario. Vult autem Deus se ipsum ut finem in creaturis ut mediis, sed ut finem ipsis inadæquate se participantem, nec ab eis ullo modo dependentem. Unde talis finis, licet in se ametur necessario, ut in se est, tamen ut communicabilis mediis, non nisi libere quia inadæquate se habet ad illa, et independenter ab illis est eorum finis.

NOTA.

De ipso actu divinæ voluntatis qui est amor, an sit etiam gaudium, vel ab illo distinguatur in Deo, et an sit amor amicitiae vel concupiscentiæ, hæc et alia similia commodius circa quæstionem xx, ubi sanctus doctor agit de amore, tractabuntur.

DISPUTATIO V.

DE EFFICACIA ET INEFFICACIA SIGNISQUE
DIVINÆ VOLUNTATIS.

ARTICULUS I.

Preludia totius disputationis.

Tria oportet in hac difficillima, et valde controversa disputatione præmittere quasi præsupposita, et præludia totius disputationis.

Primum, quid sit efficax voluntas et quid ad illam requiratur (non loquor de auxilio, sed de voluntate in communi, et de voluntate divina.)

Secundum, quid sit ordo inten-

tionis, et executionis in decretis divinis.

Tertium, quomodo assignanda sint diversa instantia, seu prioritates, aut signa voluntatis divinæ.

EFFICACIA VOLUNTATIS, QUID REQUIRAT.

I. Solet efficax voluntas diversis nominibus appellari, scilicet voluntas simpliciter, ut distinguitur a voluntate secundum quid, quæ ex parte vult, sed non ex toto, nec cum effectu; appellatur etiam voluntas absoluta, ut distinguitur a conditionata, quæ etiam dicitur velleitas, quia per voluntatem inefficacem vellet aliquis rem fieri, et sub conditione, si non esset talis occasio, vel talis circumstantia; ea tamen posita, de facto vult aliter fieri, sicut qui projicit merces in mare occasione tempestatis, vellet autem non projicere, si non esset tempestas, et peccator vellet converti ad Deum, et agere pœnitentiam, si non esset obligatio restituendi alienum, aut dimittendi alienam, sed ea supposita, non vult dimittere, nec pœnitere. Denique, vocatur voluntas efficax, voluntas consequens, et inefficax, antecedens, quia ad illam consequitur effectus ex se, ista vero antecedit effectum, et solum ipsam rei bonitatem vult secundum se, qua etiam ratione vocatur ista inefficax simplex complacentia, alia vero vocatur efficax, quia et rem ipsam, et ea quæ ad ejus positionem et consecutionem requiruntur, vult quasi duplicata voluntas, prior vero et inefficax gaudet, seu complacet de re, de ejus vero consecutione nihil tractat. Nec obstat, quod etiam in simplici complacentia potest esse peccatum, etiam sine ulla voluntate de executione ad extra, sicut

consentit in delectationem, et non in opus: ergo videtur posse dari efficacem voluntatem sine ordine ad consecutionem et opus. Respondetur enim, quod etiam in simplici complacentia, et inefficaci voluntate, respectu operis potest dari libidiosa delectatio; quæ sit peccatum, quia ad peccatum non requiritur efficax voluntas, sed sufficit complacentia, imo et omissio, non repellendo insurgentes motus appetitus. Et quantum ad hoc quod est delectari intra se, efficax est, quia delectationem ponit in se de facto, licet respectu operis ad extra inefficax sit.

II. Quare efficacia voluntatis per omnia illa nomina significari solet, et sic eam significavit D. Thomas in hac quæstione XIX, art. VI ad I, et in I, distinct. XLIX et XLVII, utrobique quæst. I, art. I, et quæst. XXIII de verit. art. II. Et in omnibus istis locis perpetuo docet S. Thomas voluntatem consequentem, quæ est voluntas simpliciter, et absoluta, et efficax, esse illam quæ respicit rem secundum omnes suas particulares condiciones; quia sic fit, et ponitur in re, et voluntas efficax respicit rem ut ponenda est in re, et secundum quod in se existit. Voluntas autem antecedens est illa quæ respicit rem, non secundum omnes suas particulares circumstantias, et ut ponenda in re, sed secundum aliquam præscisionem, aut ex aliqua parte tantum, et secundum illam placere potest, licet ex alia parte obstet quod ponatur in re propter alias condiciones repugnantes, sicut si homo consideretur secundum naturam humanam præcise, bonum est vivere, et salvari, sed si consideretur non solum ut homo, sed ut homicida, et peccator, et quod non vult converti, non est bonum vivere, nec salvari. Sed tamen de hac distinctione voluntatis antecedentis

et consequentis, et quo modo eam Damascenus distinguat, et in quo sensu sit intelligendus, plenius dicemus infra.

III. Quare in sententia D. Thomæ voluntas efficax est illa quæ respicit aliquid ut ponendum in re, et sub eis conditionibus, et formalitatibus, quæ requiruntur ut ponatur in re; inefficax autem vult aliquid, non ut ponendum in re, nec secundum omnes condiciones aut circumstantias, quæ requiruntur, aut quibus ordinatur ad hoc ut ponatur in re, licet secundum se, vel secundum aliquam conditionem placeat sibi. Quod etiam alio modo explicat D. Thomas quæst. VI de verit. artic. I, et quæst. XII, art. X, quia in ordinatione ad finem est duo considerare, scilicet ipsum ordinem causarum, et exitum vel eventum ordinis: non enim omnia quæ ad finem ordinantur, finem consequuntur. Et sic in cognitione futurorum, et in revelatione prophetica, quæ a divina præscientia descendit, est duo considerare, scilicet ipsum ordinem causarum ad effectus suos, et exitum seu executionem hujus ordinis in hoc quod effectus acti procedunt ex causis suis. Voluntas ergo respiciens tantum ordinem ad finem, seu ordinem causarum, sed non ipsum eventum et exitum effectus a causis non est efficax, nec consecutiva finis. Quæ autem respicit ipsum eventum, et exitum rei a causis, efficax est, nec solum respicit sufficientiam ex parte virtutis, sed egressum effectus a tali virtute.

IV. Dices: Voluntas divina nihil vult nisi per ordinem ad esse, ut præcedenti disputatione, art. VI, explicavimus, et illud quod vult debet esse participatum ab ipsa voluntate divina, et non præsuppositum ab ea: ergo semper voluntas Dei est efficax, nec potest intelligi voluntas aliqua antecedens, quæ non imple-

atur, sed omnis est consequens, quia omnis impletur, quod tamen negat D. Thomas, Consequentia patet, quia voluntas antecedens dicitur illa, quæ vult rem secundum aliquam conditionem et non secundum omnes, vel ordinat aliquid in causis, sed non exitum ipsum rerum a causis suis: sed hoc ipsum est ex Deo quod causæ sint sic ordinatæ, et quod res sic se habeat secundum se, aut secundum illam conditionem tantum, secundum quam consideratur a voluntate antecedente, et nihil amplius vult per illam voluntatem, ergo illa impletur, et respectu ejus quod vult efficax est: ergo nulla datur in Deo voluntas inefficax, quia omnis voluntas implet id quod vult.

Respondetur quod voluntas non dicitur efficax vel inefficax, antecedens vel subsequens nisi comparatione ad aliquod particulare objectum quod aliquando perducitur ad effectum, aliquando non. Et hoc totum ex voluntate Dei dependet, et ab ea ordinatur. Quare inefficax vel efficax voluntas Dei non est distinguenda per ordinem ad universalem finem, quem Deus intendit, neque penes impletionem, vel non impletionem divinæ voluntatis ex parte sua, quasi voluntas inefficax sit quæ frustratur, efficax vero quæ impletur, sed efficacia vel inefficacia in divina voluntate sumitur per comparationem ad particulares effectus ex parte creaturarum, ita quod, quando aliquis effectus determinatus intelligitur ut exiens a suis causis, dicitur voluntas Dei efficax circa illum quia vult, et intendit rem illam esse et de facto poni; quando vero aliquis effectus non exit a suis causis, neque de facto ponitur extra illas, dicitur inefficax voluntas, seu antecedens, quia non respicit existentiam rei, ut de facto ponendam extra causas, sed solum

sub aliqua conditione, aut sub aliqua formalitate ei placet: attentis autem omnibus circumstantiis non vult, sed hoc ipsum non velle est ex intentione, et voluntate Dei, quæ efficax est circa non esse et non velle. Et ita secundum unum ordinem et respectum dicitur efficax, seu antecedens voluntas, quæ secundum alium inefficax est. Non potest autem voluntas divina absolute et secundum omnes ordines et universalissimum finem et causalitatem suam considerata inefficax esse aut frustrari, vel non impleri, ut docet S. Thomas in hac quæstione XIX, art. VI, et in I, dist. XLIX, q. I, art. I, in hoc enim sensu dicitur Isai. XLVI: *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet*: et Judith IX: *Hoc factum est quod ipse voluisti, omnes enim viæ tuæ paratæ sunt, et tua judicia in tua providentia constituisti*. Universalis ergo voluntas Dei, quæ dicitur omnis voluntas, semper fit, et omnes viæ ejus paratæ sunt, quia nihil imparatum et frustrabile est illi. Distinguitur autem in efficacem et inefficacem comparatione singularium effectuum extra Deum, quod unus exeat non comparatione gubernationis et directionis, seu intentionis divinæ absolute, quasi hæc aliquando impleatur aliquando non, aliquando frustretur aliquando non, quia semper impletur intentio divina, nam etiam quando res non exit extra causas suas, etiam Deus illud vult et intendit et disponit.

V. Quare licet eadem voluntas materialiter et identice possit esse efficax et inefficax respectu diversorum, tamen semper observanda est ratio formalis secundum quam distinguitur efficax ab inefficaci, videlicet quod sub illo respectu, et in ordine ad illud objectum vel rationem, quam respicit ut de facto ponendam et secundum exitum a cau-

sis sit efficax, sub eo respectu quo relinquit intra causas fit inefficax; esse tamen causas ordinatas et dispositas ad operandum, licet de facto non operentur, quia est aliquid de facto habitum, quod ad illud efficax denominatur voluntas, licet quoad effectum qui non exit, efficax non sit.

Et quia res ista maxime fundamentalis est, et conducens ad plures difficultates theologicas, quæ ex cognitione efficacis voluntatis dependent, oportet hanc distinctionem efficacis ab inefficaci, ejusque rationem et vim propriam ex suo fundamento cognoscere et ostendere.

VI. Et ideo sciendum est quod amor duplex genus causalitatis in nobis exercet, scilicet et afficit et efficit. Et afficere quidem convenit et in genere causæ formalis, quia amor ipse affectus quidam seu affectio est voluntatis, tamquam forma. Efficere autem convenit ei in genere causæ efficientis, quatenus ex effectu amoris movetur quis ad consequendum seu habendum in re rem amatam. Et ita amor formaliter per se facit unionem cum amato in affectu, efficienter autem quærit unionem cum amato in re, ut docet S. Thomas 1-2, q. xxviii, art. 1. Hinc ergo sumitur distinctio inter amorem inefficacem et efficacem. Si amor sistat in affectu, et non quærat aliquid in effectu, inefficax est, quia non efficit, nec ad efficiendum ordinatur; efficacia autem ab effectu dicitur, seu ex ordine ad effectum, quod pertinet ad genus causæ efficientis, sed amor ille sterilis est, et solum intra se sistens, pertinetque ad voluntatem simplicem et volitionem, quæ antecedit actum intentionis, et potest in illo esse magna complacentia, et vehemens delectatio, nec tamen efficax est, quia ad actum voluntatis, qui est

simplex volitio immediate sequitur fruitio, seu complacentia de re volita, non fruitio consummata, quæ est in possessione reali rei amatæ, sed fruitio inchoata, quæ incipit ab affectu primo de re, ut docet S. Thomas 1-2, q. xi, art. iv. Efficax autem amor facit conversionem ad rem in se, ut de facto et realiter obtinendam, et ideo efficax dicitur, quia incipit habere ordinem causæ efficientis ad rem in se consequendam, vel producendam, et sic efficax dicitur, quasi efficiens, et ordinem induens efficientiæ, respicitque rem ut de facto, et secundum exitum a suis causis. Et sic incipit ordo efficacis amoris ab actu intentionis, qui non est simplex volitio, vel complacentia de re amata, sed volitio tendens, seu in illam tendens, ideoque dicitur intentio, quasi non solum affectu amans, et uniens sibi, sed tendens efficienter ad quærendum, et ideo incipit jam attingere media, saltem virtute, quia intentio non est simplex actus volendi, sed actus volendi finem sub aliquo ordine ad media; et propterea non est jam simplex actus, sed quasi duplicatus, quia duo attingit, finem, et ordinem ad media, non simplici bonitate contentus est: et sic etiam amor efficax semper est quasi duplicatus, non simplex, ideoque robustus et fortis, quia respicit rem, non in sola sua bonitate, sed in ordine ad consecutionem, et ad media. Propter quod multi sunt qui amant aliquid, v. g. Deum, et valde delectantur de ipso, et videntur sibi vehementer amare, et totum hoc est simplex amor, bonus quidem, sed nondum perfectus, quia non duplicatus, neque robustus: imo qui sola delectatione nititur, cessante illa (ut sæpe cessat per tentationes) corrui. Efficax autem amor non multum occupatur circa delectationem simplicem de Deo, sed circa ordinationem eorum

et ad modum illius potest Deus habere circa alias res similem voluntatem et decretum: ibi autem connexio illa inter res ita disparatas non nascebatur ex aliqua connexione, et ordine rerum inter se. Quæ enim erat connexio inter percussiones illas, cum jaculo in tali numero, et percussione Syriæ usque ad consummationem? Erat ergo illa ordinatio, et connexio solum ex voluntate Dei, et tamen illa voluntas nihil ponebat in illis rebus. Nec obstat quod posuit aliquid ad extra, scilicet revelationem illius facti, aut promissionem sic adimplendi. Contra enim est, quia hæc revelatio nihil posuit nisi in mente prophetæ, cui Deus revelavit, in rege autem Joas, in jaculo ejus, in Syria percutienda nihil posuit, nec connexionem illam inter percussorem terræ, et Syriæ fecit revelatio, sed supposuit, et solum manifestavit: ergo licet voluntas revelandi aliquam mutationem posuerit in eo, cui revelatio facta est, tamen voluntas percutiendi Syriam nihil posuit in ea, neque in jaculo, et rege percussente terram et tamen in Deo fuit voluntas de tali connexione. Est ergo voluntas libera in Deo sine aliquo effectu ad extra in eo circa quod est voluntas.

XXXV. Quoad voluntatem autem et decretum diversum propter solum diversum finem, re ipsa omnino invariata manente, constat in decreto incarnationis, quæ est volita ex vi hujus decreti ob redemptionem generis humani, ita ut si homo non peccaret, Christus non veniret, et tamen posset Deus ob alium finem, eandem incarnationem velle, et tunc haberet aliud decretum: posset enim venire propter redimendum Angelum, aut propter exaltationem universi, non autem ad redimendum hominem. Et similiter Deus potest aliquod beneficium no-

bis exhibere propter diversa motiva, seu fines, v. g. dare homini eandem gloriam liberaliter, ex dono suo, aut ex meritis, et pluviam dare propter abundantiam frumenti, et cursum causarum naturalium servandum, aut propter preces, et miseriam pauperum: qui fines nihil reale variant in pluvia, et tamen diversa voluntas in Deo est. Et præsertim hoc urgetur quando finis non est in re ponendus, neque efficaciter intentus, ut admittunt oppositi auctores, ut si Deus producat omnes propter gloriam, quam non omnibus largiturus est: et in eorum sententia ex gloria inefficaciter omnibus volita, tam reprobis quam prædestinatis movetur Deus ut ex fine ad eligendum aliquos ad gratiam: tunc illa voluntas finis inefficaciter voliti, ut ipsi dicunt, quid ponit in rebus ad extra; et tamen Deus habet voluntatem circa talem finem: vult enim omnes homines salvos fieri, et ista salus non fit in omnibus: sufficit ergo ad voluntatis actum, seu decretum in Deo aliquid volitum conditionata voluntate et inefficaci, licet in re nihil mutationis ponat.

XXXVI. Ad hæc non habent oppositi auctores quid respondeant, licet non modice se affligant, nisi vel dicendo aliquam variationem realem dari ad extra quando Deus vult aliquid diverso decreto propter diversum finem extrinsecum, v. g. revelationem aliquam talis voluntatis, aut promissionem, aut pactum, vel aliquem alium effectum, quem nos ignoramus, vel saltem aliquem effectum negativum a parte rei, scilicet non ponendi illum finem propter quem alias posset esse volita talis res, aut quod talis finis non moveat voluntatem divinam, licet semper sit cognitus a Deo. Ad decreta vero conditionata negant ea de facto dari in Deo, sed solum esse conditionata ex parte actus, non vero